Epilogus.

Sic est, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, sic est, inquam, quod apud Veteres quondam ille mos obtinuerit: ut, licet sibi scribendo & emendando jam satisfacerent, non properè in omnium manus sua statim venire sinerent, sed Peritis ea ac intelligentib9 recitarent, quo prius hi corrigerent, quæ jure displicuissent: qd dudum nos docuit Gerhardus Joh: Vossius, Junior olim & illustre inter Batavos nomen, Gentis suæ decus, et Critici Synedrii portio haud postrema, in libellô de Veterum recitatione. Neq; hi quidvis quovis loco solebant proferre: sed, si quæ censebant momenti alicujus, ea peculiari quodam in loco, cui Recitabuli nomen erat, recitabant: quem quidem locum ὁ πάνυ Vossius geminum constituit, dividitq; adeò in Recitabulum publicum et privatum. De publicô Lampridium audiamus in Alexandrô: Ad Athenæum audiendorum & Græcoꝝ & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum causa frequenter processit. Ubi de Athenæo non una habetur Interpretum opinio (~~mentio~~). Sunt enim qui Athenæum templum explicent, Minervæ dicatum. Alii aliud volunt. Pleriq; autem cum Aurelio Victore heic faciunt: qui ludum ingenuarum artium Adrianum exstruxisse, eumq; Athenæum vocasse, commemorat: cujus nominis causam alicubi indicavit Xiphiling. Nam, ait, sic vocatum ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ παιδευομένων ἀσκήσεως. De privatô, quod asseramus, nihil certi habem9, nisi quod ante Athenæum privatis amicorum ædib9 uti moris fuerit, ut Domitiani temporib9 domo Stellæ, hortis Frontonis, ac similib9 sæpè etiam conductis. Sed quâ fini hæc ædisseram, fortassè quis interrogabit. Dicam paucis: Imitati sunt hodiè hanc ipsam Veterū recitationem in publicô Recitabulô Sallustiani Oratores cum suis Metaphrastis Paraphrastis & Imitatorib9. Recitarunt namq; alii, quid Micipsa, quid Adherbal, quid Memmius, quid Marius dixisse apud Sallustium memoretur; Alii Concionum Sallustianarum Paraphrases protulerunt: Alii deniq; in Thesi et Hypothesi varia se exercuerunt. Recitarunt autem illi, non eô animo, ut inanem captarent auram, sed exercendi linguam, excolendi memoriam, acuendi judicium gratiâ, imò & emendandi gratia, siquæ hallucinationis suæ Secreta pandere coacti fuerint. Ego quidem in calce sermonis mei etiam atq; etiam